Quid cum Secretario
Bertij actum sit.

4.

Sächsisches Hauptstaatsarchiv Dresden
Geheimer Rat (Geheimes Archiv), Locat 9819/5, Vorenderung, f. 613 r--614 v
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/172

4. 613

Rationes traditae Secretario Bertij, qui a Gubernatrice
ad Principem missus erat, quo eum denuo suaderet Ut
iuraret, aut saltem non obstante praecepto Regis retineret
Provincias sibi commissas, dum ipsis eius expostulationibus
aliud a Rege docetur, quibus breviter declaratur cur
Princeps, neque iurare, neque praefecturas retinere possit

Primo ut humiliter gratias agat eius Celsitudini, pro ea quam
declaravit erga me animi promptitudine et favore, per Secretarium
Bertij, et rationibus quibus persuadere mihi conata est, Ut retineam
praefecturas mihi commissas non obstantibus literis quas ad me dedit
quibus expressit Regis animum et
voluntatem alienum esse, et quamvis haec fortassis sufficiant, Ut
aliquo praetextu easdem praefecturas retineam, et sequar formulam
iuramenti mihi exhibitij. Cum tamen considerem neque hoc, neque
simile unquam iuramentum maioribus nostris propositum fuisse,
res mihi videtur et nova et insolita, praesertim quod haec formula
proponatur nobis, qui nullis aut erga Regem, aut erga Patriam
officijs Maioribus nostris voluimus videri inferiores.

Secundo quia nullis moribus receptum est, Ut renovetur ullum
iuramentum, nisi iurans priori non stetisse videatur, aut mox
ab eo recessurus.

Tertio quia is qui novum praestat iuramentum, ipso facto, quasi
videtur confiteri, se primo aut non satisfecisse, aut certe aliqua
ex parte excessisse.

Quarto quia nova haec formula dissimilis est his, quas aut prae-
fecti, ratione praefecturarum suarum, aut Vassalli ratione Feudorum
debent, et ex usu praestare solent. Praefecti enim iurant or-
dinibus et Statibus ditionum, quibus praesunt, se conservaturos

Sächsisches Hauptstaatsarchiv Dresden
Geheimer Rat (Geheimes Archiv), Locat 9819/5, Vorenderung, f. 613 r--614 v
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/172

Iura, Privilegia, Immunitates, et consuetudines Ditionis (quod
ex Diametro cum noua haec forma pugnat, in qua iurans se astringit
simpliciter, et sine ulla exceptione, facturum quod Rex iusserit.)
Alioquin ex hac forma quis se submittit simpliciter Regiae Volun-
tati, adeo, ut si quis exterus aut alius, vel nulla expressa causa, suis
persuasus, aliquid Regis nomine iubeat, quod aut cum animo et Con-
scientia, aut cum Privilegiis et Iuribus ditionis sui pugnet, aut alteri
obsit, aut ire se iubeat armari, contra sibi coniunctissimos ex
frivolis, male intellectis, aut falso delatis causis (quod turbulen-
tissimis istis temporibus facile accideret) nihil est, quod recuses,
cum coram tuam iuramento addixeris, sine ulla exceptione contra-
venire.
Cum itaque sim Germanus, Iuramento astrictus Imperio, Imperatori
et aliis Feudorum quae habeo Dominis, ~~quae~~ qui ab Universali hoc Iura-
mento non excipiuntur, facile quilibet secum ipse perpendere, qua
mihi periculum futurum sit in hanc formam iurari,
praesertim cum verisimile sit Regem novis edictis et constitutionibus
quibus et ipsis me hoc casu astringerem, persecuturum eos, qui
dissident ab Religione, quam ipse Catholicam putat, inter quos
et uxor mea et ego sumus. Facile itaque ex hac formula coerceri
me, ut poenas edictorum suorum, exigerem vel a propria uxore.
Quod ad praefecturas mihi commissas attinet, cum aperte Regia
Maiestas iusserit, ut eas relinquam, nullo modo mihi (qui humillime
eius Maiestati semper obedire paratus sum) videtur convenire, ut
eas diutius retineam.

Sächsisches Hauptstaatsarchiv Dresden
Geheimer Rat (Geheimes Archiv), Locat 9819/5, Vorenderung, f. 613 r--614 v
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/172

Et eam video de me conceptam opinionem, et sic mihi diffidi, ut
desperem ullam amplius meam operam gratam esse Regi posse

Nam et me inscio, in easdem illas praefecturas, missae sunt militum
aliquot cohortes, et res quas composueram, turbatae. Satis itaque
mihi est, mihi nec ea quae acciderant, nec quae adhuc accident,
imputari posse, cum omnia ibi composuerim, et tranquilla reliquerim.
Idque sine ullo milite, exceptis solum ducentis sclopetariis, permissa
libertate concionum ex formula conventionis initae XXIII Augusti
eaque exacte observata, apud omnes, exceptis solum Amsterdamensibus.
Idque ob causas, ut haec omnia, ex praesidibus consiliorum et Magi-
stratibus oppidorum vestra Celsitudo exactius cognoscere poterit,
quos hac de re etiam oro et obtestor, ut interroget, quae ~~etiam~~ tamen tamen
omnia constat vestrae Celsitudini parum grata esse, cum scripserit
me et contra Deum et contra Regem, et contra Patriam fecisse

Deinde absente Rege parum mihi consultum videtur, ut unam
sub exteris affectus.

Vestram Celsitudinem parum de his mirari debere, cum et aliis de
causis sciat nos ante Annos tres amplius noluisse interesse
consiliis, traditis eis in manus Diplomatibus quae a Rege acce-
peramus.

Sächsisches Hauptstaatsarchiv Dresden
Geheimer Rat (Geheimes Archiv), Locat 9819/5, Vorenderung, f. 613 r--614 v
http://www.inghist.nl/Onderzoek/Projecten/WVO/brief/172